

Xb
353



Handwritten text on the right edge of the page, possibly a page number or title, including the characters "11. 11".





MAUSOLEUM
CHRISTIAN-ANHALTINUM

i. e.

Oratio Encomiastica,

Quam

Memoriae nunquam intermorigaturae
SERENISSIMI CELSISSIMIQUE PRINCIPIS
DIVI

CHRISTIANI II.
Principis Anhaltini, Comitis Asca-
niae, Dynastae Bernburgi ac Servestae, &c.
Domini olim sui Clementissimi,
Consecratam

in

Majore Illustris Quedlei Acroaterio

A. D. VI. Non. Novembris,

Aera

Christianae Salutis

*Supra sesquimillesimam sesquiq. centesimam
decimam sextam*

more rituq; Majorum

habuit,

Valeq;

Musis Quedlimburgensibus

dixit

CHRISTIANUS ERDMANN Steffes de Colodey,

Nobilis Anhaltinus.

Indulgente

M. SAMUELE ESHMID, Zittavia Lusato,
Restore.

Typis JOHANNIS OCKELI.

MAGNOLIBRARIUM
CHRISTIAN-ANHALTINUM

Oratio Encomiastica

Memoriae honorandissimi
REVERENDISSIMI CANTUARII PRINCIPIS
DIVI

CHRISTIANI II

Principis Anhaltini Comitis Albi



M. SAMUEL ERDMANN
Christus Erdmann
Nobilis Anhaltinus
Indulgens

THE JOHANNIS OBER...





Lexandrum Magnum, Plutarchus refert, (a) quum in Asiam profectus ad ruinas Trojæ venisset, Achillis statuam coronâsse, addita illa Regiâ memoratuq; dignâ voce: O te felicem Achillem! qui vivus Patroclum Amicum, & mortuus laudum tuarum Præconem Homerum invenisti.

Exordium
ab Histo-
ria.

(a) Plu-
tarch in A-
lexandr.

Utinam verò, utinam Auditores, congruis undiq; nominibus salutandi, idem de Serenissimo Celsissimoq; Principe ac Domino, Domino CHRISTIANO secundo, Principe Anhaltino, Comite Ascaniæ, Dynasta Bernburgi ac Servedæ, Domino olim meo Clementissimo, qui iam Coelitibus adscriptus, beatum agit ævum, & cuius ego laudes sum memorare jussus, dici prædicariq; posset. Nec enim alium, quàm Homerum, aut si quis Homero major, Sanctissima tanti Principis anima, Virtutum suarum divinissimarum Præconem postulare videtur.

Adplica-
tio.

Quid ergo? idoneus ego ex omnibus? Minimè. Meo enim me pede metiri didici: Ingenium quàm mihi tenue, ars exigua, dicendi exercitatio nulla, non ignoro. At tanto officiosior, quàm ceteri? Ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam præreptam velim. Quæ me igitur res præter Cæteros impulit, ut huc conscenderem, & laudationem Principis iustituerem? Dicam Auditores. Pietas impulit, inflammavit Pietas.

Plura sunt sanè tanti Principis beneficia, cum, quæ omnem in Anhaltinatum collocavit, tum quæ permul-

tos annos privatim in Parentem meum, in meos, in me quoque ipsum benignissime contulit, quam ut quidquam eorum oblivionem inducere, vocemque intercludere mihi possit.

Neque recuso indifertus haberi, dum modo ne ingratus videri queam, & oneri quod incumbere mihi videris, opprimi malo, quam officium deserere, & tacitus laudatissimi Principis merita dimittere.

Propos-
tio.

Quare Pietati litaturus, Principis nostri ætatis gradus breviter percurram, quæque in singulis laude ac commemoratione digna, (sunt autem omnia) strictim ac modicè attingam, significaturus potius quam ostenturus. Namque uti Sol, quando altus incedit, & nostrum Meridianum attingit, minores jactat umbras: Ubi verò devertit ad Horizontes, umbras spargit multò vastiores: Sic Principis nostri virtutes atque dotes, quæ longè supra aliorum hominum verticem & veluti Zenith, conspiciuntur excelsæ, hoc minus se se diffundunt inani aliquâ verborum ostentatione.

Quod dum ago, à Vobis, Auditores omnes ac singuli, debito cultu tituloque venerandi, duo sunt, quæ summo opere contendo: Unum, ne rerum pulcherrimarum, quibus de verba sum facturus, magnitudinem ex mea potius Oratione, quam ex illarum pondere æstimetis: Alterum, ut præsteris in me audiendo tantam benevolentiam, quanto mortuum Principem, dum in vivis erat, cultu ac veneratione prosecuti estis, tantam attentionem, quantum vultus vestri & oculorum in me conjectioracitè pollicentur.

Tractatio
I.

Lans ipsa
secundum
ætatis gra-
dus, specia-
tim

Ætatem
infancile.

Non puto quæquam Auditores, in hoc esse confes-
su tam hospitem in Oratorum scriptis, qui nesciat, illos
iplos, cum Viros Illustres laudibus celebrandos suscepe-
runt

tunt morem hunc tenere, ut initia laudis à Generis & Fa-
miliæ claritate capiant. Neque verò, ut mihi svadet ratio,
ineptè: Etsi enim Generis claritas non tam nascendo
quàm vivendo quæritur, & non tam Gentem & illustre
Genus, quàm Mentem in homine spectare oportet: quia
tamen Generis Claritas Virtutem reddit magis conspi-
cuam, & à Majoribus deducta Celebritas multis ad res
laudabiles capeffendas calcar solet, ut certè debet, adde-
re, ea nobis non est prætereunda. Videmus Gemmam
ex auro, quàm ex argento, aliusvè generis metallo relu-
tere splendidius: Ita etiam splendor Virtutis est eviden-
tior in iis, qui ex eminentiore & hominum oculis con-
spectiore prosapia, originem ducunt. Atq; hæc ipsa felici-
tatis humanæ pars obrigit Principi quondam Serenissi-
mo Celsissimoq; , CHRISTIANO Secundo, Principi
Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Dynastiæ Berenburgi ac
Servestæ, Domino olim meo Clementissimo, jam nunc
inter Cœlites degenti.

Si enim Generis ratio, Majorumq; Nobilitas quic-
quam ad commendationem valet, verè hoc affirmare
possum, non multas Gentes in Germania, imò universa
Europa reperiri, quæ cum Familia Ascania & Anhaltina
ullâ re comparari queant.

Gentis hujus si attendas Antiquitatem? non solum
mille annos & eo amplius, continuâ nec unquam inter-
rupta serie tot Domini, tot Comites, tot Principes hujus
Illustrissimæ Familiæ numerantur, verùm etiam secun-
dum calculum nonnullorum Virorum Clarissimorum
ejusdem origo ad Ascenam, Filium Gomeri, Nepotem
Japeti, Pro nepotem Noæ refertur, qui primus in hanc
Germaniam interiorem, circa annum mundi millesi-
mum nongentesimum septuagesimum, penetrasse, & in-

ter cæteras hanc Familiam condidisse scribitur. Illud ta-
men non diffitemur, propter & temporis diuturnitatem,
& migrationes Gentium mutationesq; locorum & re-
rum humanarum confusiones, & Historiæ negligenti-
am, & literarum inscitiam, hujus Illustrissimæ Prosapix
seriem continuam, ab ultimis temporibus assignari non
posse.

Si spectes porrò Familiæ Anhaltinæ Nobilitatem? Il-
lius certè florem omnibus è totius Europæ Familiis Il-
lustrissimis decerpfit ac delibavit.

Produxit enim Dominos Hercyniæ ac Ballenstadii
propè innumerabiles, Comites Ascaniæ quàm plurimos,
dedit Saxonibus Reges tres, Electores Brandenburgensi
Domui decem, Saxonicæ novem, ex quâ stirpe Saxo-Ele-
ctorali Duces Lavvenburgenses oriuntur, qui hac quoq;
ætate Principes & pacis & belli artibus clarissimi sunt,
Principes verò tulit Anhaltinos, annos ferè quingentos
innumeros, multos item Episcopos & Antistites, inter
quos Principatum tenet GEORGIVS, Præpositus Mag-
deburgensis & Misnensis, Princeps scriptis sacris, pietatis
ac devotionis plenissimis, clarissimus.

Nec illud dissimulandum existimo, quod hæc ipsa
Família aliam in Italiâ condiderit, quæ URSINORUM
Família dicitur, quæ nunc quoq; temporis non solum in-
ter Nobilitatem Romanam Virtute præstat, sed etiam
divitiis abundat, pollet auctoritate, & aliquot dedit Pon-
tifices, quorum in Orbe terrarum summa quondam esse
Majestas putabatur.

Si æstimes Familiæ hujus potentiam? uno eodemq;
tempore, præter avitas ac paternas provincias, Electu-
ram & Saxonicam & Brandenburgicam sua in manu
habuit, Postquam enim Albertus Ursus, Ascaniæ Co-
mes,

mes, anno à Christonato, Millesimo centesimo quadra-
gesimo, Lothario, Conrado & Friderico Barbarossa Im-
peratoribus, præclaram, tam pace quàm bello navasset
operam, primus dignitatem Electoralem Marchionum
Brandenburgensium huic Familiæ acquisivit, Filius autem
BERNHARDUS sub Imperatore Friderico Barbarossa
anno Millesimo, centesimo octogesimo, Electoris Du-
cisq; Saxonie titulum commeruit, cujus Filius primoge-
nitus Albertus Saxonie superioris Electoratum, cum
Ducatu Saxo-Lavvenburgico; Secundo - autem geni-
tus Henricus, novam Principum Anhaltinorum Digni-
tatem obtinuit, omnium primus, Princeps Anhaltinus
appellatus.

Considerate quæso Auditores, quanta hæc fuerit
hujus Familiæ Potentia ac Felicitas, & an unquam ulli
Familiæ per omnem Germaniam contigerit, cogitate.
Res sanè mira, quod una eademq; ætas vidit Avum, no-
vum Electorem Brandenburgicum, Filium, Electorem
Saxonicum, Nepotem, Principem Anhaltinum creatum;
Atq; hanc Dignitatem Electoralem annos ducentos,
Principatum verò quæ Dei gratia est, quingentos ferè an-
nos obtinuerunt, & obtinebunt, dum orbis faciem suam
obtinebit.

Si requiras Heroum fortissimorum copiam, fateor
ingenuè, eorum copiam verborum me inopem facere.
Possem hîc, Auditores, recensere, Christianos, Johannes
Ernestos, Joachimos Ernestos, Johannes, Rudolphos,
Sigismundos, Albertos, Ursos, Bernhardos, alios quàm
plurimos, omnes ac singulos Virtute sagata, domi fo-
risq; clarissimos, sed vereor, ne tantorum Heroum lau-
des & gloriam inopia dicendi deteram; quare laudan-
dis ipsis supersedebo. cum eorum virtus excelso atq; Illu-
stri sta loco, non cuiquam, tam veteris quàm recentioris
Historiæ gnaro, latere potest. Si

Si deniq; lustres rerum gestarum Gloriam? cequis
 est in Europa angulus, quem Anhaltini Principes Alca-
 niq; Comites non calcarint armati? Quæ Provincia,
 per quam exercitum non duxerint? Qui hostis, quem
 non debellarint? Nam ut cætera omnia mittam, vel hoc
 nomine Familiæ Anhaltinæ plurimum debet universa
 Germania, quod Gentes Henetas, quibus cum non de
 Imperio & Gloria, sed de Salute, haut - aliter quàm Ro-
 manis olim cum Gallis dimicandum erat, quæ totam
 Veterem Germaniam ad Albim, Salam, Danubium usq;,
 sui Juris fecerant, quæ Reges Francos & Germanorum
 Imperatores cruentissimis bellis annos ferè sexcentos
 fatigarant, fregit tandem & domuit, magnam eorum
 partem, cum aliter non posset, delevit, cæteros autem in
 servitutem ad hunc usq; diem redegit, novis colonis ex
 Flandria, Hollandia, Frisia, V Vestfalia & Belgia vacuas in
 Provincias introductis.

sed aut hæc satis sunt ad ostendendum quàm Vetu-
 sta, quàm Nobilis, quàm Illustris, quàmq; Augusta Gens
 Anhaltina sit, aut non video quid satis esse possit.

At velle videmini Auditores, ut pro more usq; re-
 cepto, Majores laudatissimos, à quibus ducit originem
 Princeps noster, nominatim recenscam; Præstò sum ad
 nutum vestrum.

Patrem Princeps Noster habuit, Serenissimum ac
 Celsissimum Principem CHRISTIANUM primum,
 æternum Gentis Anhaltinæ decus, & Gloriam nunquam
 intermorituram, de cujus Virtutibus quàm togatis quàm sa-
 gatis, præstat hîc tacere quàm pauca loqui.

Avum JOACHIMUM ERNESTUM, Prin-
 cipem omni Virtutum genere ad usq; miraculum excel-
 lentem, & gratia, auctoritate, Fortunisq; florentissimum,
 & quæ

2.
 Causæ Pro-
 creantes
 tum
 Remotio-
 nes s. Ma-
 jores
 tum
 Propiores
 s. Parentes.

& quæ felicitas intra ducentos annos ante Ipsum nulli hujus Proſapia Principum contigit, ſolum Principatum Anhaltinum regentem, & in poteſtate ſua tenentem.

Pro avum JOHANNEM Secundum, doctrinæ, purioris Repurgatorem, literarumq; & Literatorum, item pauperum Fautorem ac Promotorem eximium.

Abavum habuit ERNESTUM, Principem eximia Prudentiâ, animi magnitudine & clementia nulli ſecundum.

Atavum GEORGIUM Seniore, admirandarum Virtutum, & ſingularis apud omnes auctoritatis Principem.

Tritavum SIGISMUNDUM, in ſignem Bellatorem, ob ſingulares & ferè inctedibiles belli Virtutes, Bellicoſum dictum, & vel ſolo nomine hoſtibus metuendum.

Ad reliquos Majores non opus eſt ut regrediar, ſunt enim Ipsi, eorumq; Virtutes tam notæ quàm quæ notiffimæ, quippe, non ſolum Europam, ſed omnes ferè terrarum angulos pervaserunt.

Mater autem Principi Noſtro fuit Perilluſtris ac Generoſiſſima Domina, Domina ANNA, ex Vetuſtiſſima Comitum Bentheimenſium Familia oriunda, omni Virtutum, Sexum etiam ſuum ſuperantium, laude conſpicua.

Ex his igitur tantis, totq; Rerum geſtarum ac Virtutum Gloriâ claris Majoribus ac Parentibus, Sereniſſimus ac Celiſſimus Princeps noſter genitus, vitam hanc mortalem ingreſſus eſt die undecimo Auguſti, Anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo nono, Ambergæ, Superioris Palatinatus Metropoli, cui præfuerat Celiſſimus Dominus Parens, CHRISTIANUS Primus, Se-

B

reniſſi-

renissimi Electoris Palatini, FRIDERICI TERTII
Vicarius splendidissimus.

II.
Aetatem
puerilem,
ubi

Quid autem ab his tantis Parentibus ac Majoribus
suis per sanguinis ac temperamenti communionem ac-
cepit Princeps noster?

I.
Indoles &
forma cor-
poris.
(b) Aristot.
4. Polit.
c. 4. & l. 7.
c. 14.
(c) Plat l. 3.
de Repub.
Arist. 2. Po-
lit. c. 2. 3.

Duo præcipuè. Primum quidem concinnam venu-
stamq; omnium corporis membrorum formam, quæ
vel sola apud Indos & Æthiopes (b) Regno ac Principatu
digna esse judicabatur. Tum verò Indolem (ex illa vete-
re Platonis sententia (c)) ex puro solidoq; auro confla-
tam, id est Generosam, excitatam, erectam, quæ non hu-
mi reperer, & ad spectum cœli ferre non posset, sed (quod
Familiæ Anhaltinæ proprium est) quæ instar flammæ
evolaret, & ad summa quæq; contenderet.

2.
Educatio
atq; insti-
tutio.
(d) lib. 4.
Carm.
Ode 4.

Cum verò *Doctrina vim promoveat insitam*, ut
Flaccus loquitur (d) ad hanc Indolem generosam acces-
sit liberalis & Principe digna, quæ præcepta quæ exempla,
quæ diligentiam & exercitia laborum, educatio, quæ la-
tentes illos utriusq; Virtutis igniculos feliciter exsusci-
tavit.

(e) Quint.
l. 8. c. 7.

Ut enim Actio ex sententia Oratorum (e) in Elo-
quentia *Primum* est, Actio *secundum*, Actio *tertium*;
Ita omnia quæ sunt parandæ Virtutis & eruditionis ad-
minicula, in educatione & institutione honestâ certè
sunt posita.

Educatio-
nis Effi-
cientes
principa-
les.

Et primò quidem Princeps beatus, cum vix jam red-
dere voces & certo pede humum signare didicisset, ab
Illustrissimis Parentibus suis, sensim ad omnem pietatem
& Virtutum culturam enutritus fuit. Et ita quidem Ipsi
conrigit illud, quod Agasticles puer Regius apud Sparta-
nos dixisse scribitur. (f) *Eorum volo esse discipulus, quæ-
ram sum & Filius.*

(f) Plu-
tarch. in
Lacon.

Cum

Cum verò Illustrissimos Parentes non fugeret, Magnos quosq; Principes ac Heroes filios suos in ipso ætatis surgentis flore in disciplinam Virorum optimorum studiose tradidisse. Quis enim in Veterum Historiarum monumentis tam hospes est, qui Aristotelem, Magni istius Alexandri, Platonem Dionysii, Senecam Neronis, Plutarchum Trajani Præceptorem fuisse nesciat? Horum exemplum secuti Illustrissimi Parentes, Viros singularis Eruditionis, spectatæ prudentiæ & vitæ inculpatis-
Efficientes
Ministeriales
imæ delegerunt, qui tenellum, tenelli Principis animum & literis ac linguis, quæ necessariae, instruerent, & omni Virtutum genere, quas inter familiam ducit Pietas, imbuerent, & gravitate simul ac venustate morum perpolirent. Delecti igitur, Generosus ac Nobilissimus Dominus Petrus de Sebotendorf, qui ob eximias Virtutes & præclaram eruditionem ac prudentiam, Juniori Principi morum datus erat Ephorus, nec non Clarissimus Dominus Marcus Fridericus Wendelinus, ob singularem Philosophiæ ac Theologiæ peritiam, studiis moderandis Principis Junioris præfectus.

Neque verò fructu caruit hæc morum studiorum-
Educatio-
nis effecta.
que directio: sed quâ erat Indole verè auræ, Ingenioq; igneo, tam properè vel æqvavit vel superavit Magistrorum suorum industriam, ut quæ disceret non tam accipere à Præceptoribus, quàm Ipse parere, & eorum reminisci quodammodo, ex illa vetere Platonis sententia, videretur.

Quantum verò putatis Auditores, gaudii, Illustrissimos Parentes hinc percepisse? Certissimè mihi persuadeo, sicut Aqvi leges, quum manè halitum quendam è terra erumpentem vident, indicium id habent latētium aquarum: ita etiam Parentibus Celsissimis ostensam spem fuisse amplissimam, de foecūda Virtutū omniumq;

ornamentorum Principe dignorum Scaturigine, ubi
prævit tantus ardor cupiditasq. tanta, quæ Bono publi-
co utilia forent, addiscendi.

III.
Aetatem
juvenilem,
ubi
i.
Peregrina-
tiones

in
Sabau-
diam,

Galliam,

Italiam,

Et ne quid optimo Principi deesse posset, Illustrissi-
mi Parentes illum etiam peregrinationes (& quidem
maturè) suscipere voluerunt, ut novarum rerum cogni-
tione, animus Principis magis magisque excitaretur. Non
enim illis latuit, lustrationibus Regionum Sapientiam,
rerum præstantissimarum scientiam, morum ac Virtu-
tum ubertatem, Prudentiæ publicæ ac privatæ copiam,
quæ & domi non deesse, & foris Rei publicæ prodesse po-
test, parari. Paratis igitur ad iter necessariis, adscitisq; ali-
quot comitibus itineri accingitur: Et primum quidem
adit Sabaudiam, ejusq; urbem clarissimam Genevam,
Allobrogum olim sedem. Deinde Galliam, Regionem
Rebus publicis atq; Provinciis clarissimam, Regionem
potentissimam, Regionem nobilissimam, Regionem vi-
su dignissimam, quo tandem cunq; te converteris; Et ut
rem in pauca conferam, Felicitatis humanæ Epitomen,
omnium deliciarum & elegantiarum Paradisum, mundi
ocellum & Gemmam, quò eam præconio ornat, Serenif-
simus Dux Slesvici, Holsatiæ, Heresq; Norvvegiæ, JOA-
CHIMUS ERNESTUS, in, apud Lansium, Oratio-
ne pro Gallia. Sed hac peregrinatione urbiumq; ac Re-
gionum perlustratione (quamvis hæc ei suffecisset) non-
dum contentus, longius processit, & in Italiam se contu-
lit, visurus eam terram, quam sui Majores peragrâssent
armis, partâ ingenti gloriâ, quæq; multum ex vetere illo
fastigio gloriæ retinet, & quodam favore ac studio Gen-
tium non dum oblita est, se Principatum olim tenuisse
Europæ. Ut omittam monumenta antiqva, aliaq; visu
digna, quibus præ cæteris superbit Italia, quâ de cau-
sâ bis à Principe Nostro lustrata. Non autem secum tan-
tum

tum peregrinatus est & corpore, ut non pauci alii solent,
sed quod de Ulyssæ, Græcorum Principe, Homerus & ejus-
dem interpres Horatius ait, (g)

— *multorum providus urbes
& mores hominum inspexit.*

(g) lib. v.
Epist. 2.

Linguarum q; Gallicæ & Italicæ tantam sibi peritiam ac
facultatem acquisivit, ut natus in illis gentibus ac educa-
tus videretur. Cui rei argumento est egregium illud spe-
cimen, quod Venetiis edidit, eleganti Oratione ad Du-
cem Senatumq; habita, quâ stupendam sui admiratio-
nem in animis omnium reliquit.

Peregrina-
tionum ef-
fecta.

O cœlo datam indolem! O ardor discendi incredi-
bilis, quid non efficis, ubi semel generosa pectora occu-
pasti!

Quemadmodum verò divinæ mentes, cœlum imi-
tata, motu gaudent: Ita etiam Princeps excelsa indole
præditus, uni loco adherere non potuit, novo sibi itine-
re proposito, in Angliam, Insulam illam totius Orbis ce-
leberrimam, maximamq; trajecit; Neq; verò lustravit
tantum quidquid Anglia in urbibus, in Aulis, in Palatiis,
in locis aliis magnificum, splendidum ac Illustre habet,
sed & JACOBO MAGNO, Magnæ Britannia Regi, ho-
spes fuit gratissimus, ob morum gravitatem & avita-
temq; & alia generosæ mentis indicia, ab Eo summis in
deliciis habitus, & nimium quantum amatus.

Angliam

*Hæc scilicet Virtutis felicitas est, ut admiratores &
amatores inveniat ubiq;.*

Verum Illustrissimo Principi satis non fuit, omni
doctrinarum genere abundare, prudentiâ, ex tot pere-
grinationibus incredibili cum sudore ac labore collectâ,
excellere, sed etiam, ne quid intentatum relinqueret,
Gloriæ militaris cupiditate incendebatur; Audiverat

z.
Studia bel-
lica.

nempe, vel ex Parente Celsissimo, eos, qui Rem publicam aliquando sunt administraturi, bellorum gerendorum oportere esse non imperitos, cum non semper pacatis liceat frui temporibus, sed interdum etiam ab invitis arma sint capienda. Quibus apud se expensis, Illustrissimus Princeps, cum vix decimum septimum ætatis suæ annum iniisset, sub Serenissimo Duce Sabaudia, CAROLO EMMANUELE, prima militiæ fundamenta jecit, & sub ejus auspiciis, adversus Hispanos, arma sumit, rebus præclarè & cum immortalis laude gestis. Liceat mihi ad tuum, Serenissime quondam Sabaudia Dux, provocare testimonium, Tibi enim Virtus generosissima Principis nostri exactius cognita fuit. Ideo ipsum etiam ægerrimè dimisisti, non nisi pretiosissimis à te donis instructum,

Quia verò Principi in Patriam reduci nova belligerandi occasio se offerebat, sub auspiciis Serenissimi Parentis, duabus Legionibus, uni equestri, alteri pedestri præfectus, in Bojohemiam militatum abiit; Ubi quantumvis propè Pragam (ut in certa Martis est alea) ad hostes Victoria verterit, Ipse tamen Fortitudinis Principe dignæ non oblitus, strenuè rem gessit, duobus Sclopeti ictibus sauciatus. Te præ cæteris Verdugi, Hispanorum Bellator acerrime, testor: Tu Principi nostro, Captivo tum tuo, hoc testimonium tribuere non es veritus, neminem, præter eum, restitisse fortius, nec quenquam majorem adversæ parti cladem intulisse. *Tanta scilicet vis est Virtutis, ut hostes etiam in sui admirationem pertrahat, usq; vel invitis testimonium præclarum extorqueat!*

L. C.

IV.
Ætatem
Virilem
ubi

Sunt hæ Auditores, laudes, quibus Juventus Principis nostri floruit, satis illustres! Sed tamen restant adhuc aliæ longè illustriores, quibus ætas Ejus Virilis abundavit. Quia enim ætas hæc omnium est perfectissima & optima

*optima, in eam quoque virtutes cadunt perfectiores, quæ
vel hac de causa à Viro nomen habent.*

Cum igitur singulari Imperatoris Augustissimi,
FERDINANDI Secundi, gratiâ & clementiâ, princeps
libertati redditus, & Clave aureâ donatus, Camerarius
Cæsareus (*Kaysertlicher Kammerherr*) constitutus ef-
set, positusq; armis Daniam, Holsatiam, Belgicam, Ita-
liam aliasq; Regiones denuo obiisset, de Matrimonio
tandem ineundo cogitabat. Non enim ignorabat,
*numeris absolvi non posse humanam Felicitatem, nisi
suum Conjugii conferat felicitas*, quod divinarum quoq;
literarû approbari calculo noverat. Atq; hujus tantæ fe-
licitatis terrenæ, etiam Principem nostrum Deus, quâ est
bonitate, participem fecit, cujus providentiâ in matri-
monium ei collocata fuit Virgo, Regiâ oriunda Familiâ,
Filia Serenissimi Ducis Holsatiæ Slesvici, JOHANNIS,
qui Potentissimi Regis Daniæ ac Norvvegiæ, CHRIS-
TIANI Tertij Filius fuit, Serenissima ac Celsissima
Princeps ELEONORA SOPHIA, quam ob corpo-
ris animiq; dotes admirandas, cum Euripide dixeris, Vir-
tutis Promtuarium, aut si Poëta Ethnicus displiceat, cum
sacris literis Esteram, vel si quid in Fœminarum Illustrium
genere fuit Religiosus. Quo quidem Matrimonio quid
auspicatius, quid lætius, quid jucundius, quid deniq; omni
parte fortunatum magis cogitari potest? Qui inter Eos
amor? Quæ charitas? Quæ reverentia mutua? Qui ani-
morum consensus & conspiratio amica perpetuo fuit.
Quod neq; in Principum laudibus dissimulandum ideo
est, quia *discordiæ injuriæq; privatorum haud tantum
penatum mala sunt, sed Potentum Palatia etiam inter-
dum infestant*: Cum Livia quædam Reipublicæ gravis,
aut Messalina impotens, aut Agrippina superba & ferox,
Principalem domum convellit ac turbat. Quàm diversa
ab

1.
Conjugii
ineundi
ratio.

2.
Conjugii
effecta.
partim
Amor mu-
tuus,

partim
Soboles II.
Iultrissima

ab his & alia prorsus exstitit Nostra? Princeps quieta,
tranquilla, placida, Conjugis sui semper amantissima.
Quid verò de insigni foecunditate memorem? Quam si
quis benedictionem divinam esse neget, eum necesse est
ad Scripturam Sacram nunquam oculos animumq; di-
rexisse. Nam Princeps Celsissima triginta annorum & eo
amplius spacio, quindecies mater facta, sempervivam vi-
ridemq; Rutam Anhaltinam, quindecim ramulis auxit,
octo scilicet Filiis, quorum septem ad beatas sedes abie-
runt, unus verò mansit superstes, nempe Serenissimus
ac Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus VI-
CTOR AMADEUS, Princeps Anhaltinus, Comes
Ascaniæ, Dynasta Bernburgi ac Servestæ, Dominus meus
Clementissimus, qui hodie dicionem paternam modera-
tur, & ut spero & ex animo precor, diutissimè felicissi-
mèq; moderabitur. Filiabus verò septem, è quibus
tres ex hac mortalitate ad beatam æternitatem præmis-
sæ sunt, quatuor verò sunt superstites, expressæ vivæq;
Paternarum Maternarumq; Virtutum effigies, quas divi-
na bonitas corporis animiq; dotibus florentissimas, diu-
tissimè conservet.

3.
Virtutes
atq; Actio-
nes ex iis
natae.

Sed jam tempus me monet, ut exponam Principis
laudes, quæ ex Virtutibus proficiscuntur; *Est enim laudis
omnis fundamentum Virtus unica.* Hic ego, si quod Poe-
tæ solent, idem mihi quoq; facere licet, Nestorem ali-
quod dicendi flumen optem, ut eas pro dignitate recen-
sere & singulas enarrare possim. Sed tamen Pictores imi-
tabor, qui in exigua tabella ingentem aliquam multitu-
dinem hominum expressuri, nonnullorum vultus modo
atq; ora, multorum summa modò capita ostendunt, to-
tum reliquum corpus abscondunt: ita ego, cum mihi in-
numerabiles Principis optimi æternis dignissimæ laudi-
bus Virtutes, in angustum unius brevissimæ Orationis
curri-

curriculum concludenda sint, multas delibabo modo & attingam, multas etiam significabo potius, quam ostendam.

Et primum quidem, si doctrina, linguarumque ac rerum variarum cognitio commendat Principem, Princeps hic noster omni genere reconditoris doctrinae fuit excultus, linguarum praeter vernaculam, Latinae, Italicae, Gallicae, Hispanicae, aliarumque peritissimus.

Habebant in hoc veluti armato Apolline, quod admirarentur Theologi, habebant Historici, Politici, Mathematici, habebant Oratores, Poetae, Philosophi alii habebant, quorum nemo a Principis hujus unquam digressus est colloquio, quin eximium Professionis suae audiverit & observaverit specimen. Quae Principis tam exquisita eruditio cum insigni eruditorum amore conjuncta fuit, hos impense amavit, hos in deliciis habuit, hos convictu suo dignos judicavit, hos donis eximiiis ornavit. Literarum denique amore & studio Linguae vernaculae perpoliendae incensus, in illam Societatem Illustrem, quae a fine dicitur: *Die Fruchtbringende Gesellschaft* / se contulit, nomen IMMUTABILIS, des Unveränderlichen adeptus.

Si porro *Rectrix illa Virtutum omnium & publici status munimentum* Prudentia, digna est Principe, nec Principi nostro illa defuit.

Præcipitanter nihil, nihil immoderate, nihil festinanter egit, sed illud Augusti Caesaris, *Festina lente*, cunctis in consiliis atque actionibus observavit. Quam ut naturae bonitas ipsi ingeniique indulserat; Sic usus rerum diuturnior & tot annorum experientia instruxit mirifice atque perfecit. Testes hujus summæ Prudentiae produco, amicitias cum Regibus, cum Electoribus, cum Principibus maximis initas, decretas aliquot vicibus Legationes gravissimas, oblata munia, gestos honores, venerationes publicas, omnes denique quibus ad Principem hunc propior frequentiorque accessus patuit.

Si *Justitia, sine qua*, ut ait Tullius (b) *Respublica regi non potest*, Principem decet, noster hic Princeps fuit Justitiae tenacissimus, suum cuique semper tribuens. Justus erga Deum fuit, quem vero cultu prosecutus est. Justus erga Caesarem, Magistratum summum, cujus nunquam nisi observantiae ac

Speciatim
I.
Virtutes
Intellectuales, quarum

I.
Scientia ac
eruditio.

2.
Prudentia.

(b) in Offic.
II.
Virtutes
Morales
ubi
1. Justitia.

C

bene-

benevolentia plenissimam mentionem fecit, nec quicquam intermisit, quod ad dignitatem Imperatoriam tuendam pertineret. Justus erga Conjugem Serenissimam, quam Fide ac Amore conjugali complexus est. Justus erga Sobolem Illustrissimam, quam probe ac liberaliter educandam curavit. Justus erga Celsissimos Fratres & Agnatos, cum quibus conjunctissime vixit, ut nullae prorsus inter ipsos nascerentur offensiones, sed potius, ut omnes illae, quae superiorum est temporum calamitatibus erant reliquae, prorsus sopirentur, & ex omni memoria tollerentur. Justus erga Subditos, quibus suum tribuere enisus assidue fuit, probis laudem & praemia, poenas vero & supplicia fontibus ac malis, nihil gratiae dans, nihil irae, nihil odio, nihil affectibus aliis, pessimis scilicet Justitiae ac legum interpretibus. Itaque legibus tam a se, quam a Majoribus suis latis, eos in officio continere sategit, non ignarus, *veram Libertatem in servitute Legum esse positam, Legem mutum esse Magistratum, & Magistratum legem esse loquentem*, quae sine Res publica non magis salva esse potest, quam corpus sine anima, sine spiritu sine sanguine, sine nervis & ossibus. Justus denique fuit erga se Ipsum, non solum enim Subditis suis leges & statuta praescripsit, sed se Ipse quoque legibus submitit, ad earum praescriptum omnes suas actiones & vitam conformavit, dignam ducens Majestate Regnantis vocem, *Legibus alligatum se Principem profiteri*.

20
 Veracitas
 Candor ac
 Fides.
 (1)
 Corn. Nep.
 Vita Attici.

Si quoque Veracitas & Candor & Fides Principi convenit, Princeps hic noster Virtutum harum observantissimus fuit, Veritatem in omnibus sectatus est, & quod de Tito Pomponio Attico, Nobili Romano, Ciceronisque familiari dicitur (1) adeo ei studuit, *ut nec mendacia audire potuerit*, nemo in eo unquam mentem aut reconditam, aut tectam, aut fallacem animadvertit, sed apertam, sed sinceram, sed candidam, cui cum sermone, vultu ac gestibus suavissimus semper fuit contentus. Simulationes, assentationes, adulationes, calumnias, delationes, quae vitia in aulis familiaria sunt, non secus quam portas inferorum, cum Achille Homerico, per omnem suae vitae cursum odit, & si quae allata, pensavit prius, nec admisit, nisi probasset illorum fidem, non absolvens quenquam, nec **damnans**

damnans nisi auditum & jam convictum. Fidem semel datam ita servavit, ut ab ea difficilius quam Sol à cursu suo, quod olim de Fabio dicebat Pyrrhus, dimoveri se ac depelli passus fuerit; Et ut multa paucis dicam, *fuit antiquè Princeps Virtute ac Fide*, quod de suo Hegione apud Terentium Demeas (k) pronunciat. Testes voco illos ipsos, quibus propius Principem adire olim licuit.

(k)
Terent. Adelph. act. 3. sc. 4.

Si etiam Mansuetudo ac Clementia Principem decorat, Princeps hic noster fuit specimè quoddam Clementiæ, exemplum lenitatis. Ab iracundia, quæ sæpe Magnatum irritat animos, prorsus abhorruit, dixerim, iracundiam planè nescivit, & si fors locus erat iræ, tempus ei dedit, ac moram traxit, ne quicquam per iræ impotentiam faceret, cujus in posterum poeniteret. A Severitate tam fuit alienus, quam qui maximè, quippe *piger omninò ad pœnas*, ut cum Ovidio (l) loquar, in summa felicitatis parte ponens, conservare cives, quæ in re Illustrissimus Princeps Julium Cæsarem, Augustum, Vespasianum, Trajanum, Constantinum, Theodosium, imitatus videtur, quos, etsi multis nominibus etiam nostra hæc ætas miratur, nullo tamen magis quam Clementiæ miratur.

3.
Mansuetudo ac Clementia.

(l)
Ovid. l. 1. de Pont.

Si Comitatus, si Affabilitas, si Humanitas, si amor & cura Subditorum Principem etiam reddit amabilem, Principem hunc nostrum his Virtutibus abundasse affirmo. Hic ego non testes producam illos homines, quos suo tam humano Princeps colloquio dignatus est, sed ipsas urbes, sed agros, sed recta domorum & parietum, quæ ipsius humanitatem propè incredibilem loquuntur. Namque Deum immortalem! quam amicè excepit accedentes, quam patienter audivit supplices, quam placide respondit quærentibus, quam humaniter allocutus est singulos, quamque neminem, si quid honesti rogavit, vel sine Re vel sine Spe certa dimisit, Titum Vespasianum æmulatus, qui, *Si quis quam tristis à facie Principis abiisset, piaculum esse*, dicebat. (m) Quam verò amans fuit Subditorum? Quos non minus quam Parens liberos amore profecutus, nec quicquam prius habuit, & antiquius, quam ut iis benè esset. Næ ego, Auditores, videor mihi videre, Anhaltinos omnes ac singulos concurrere, ac testari illas curas, quas Princeps

4.
Comitatus, Affabilitas, Subditorumque Amor.

(m)
Sueton. Vita Vespas.

noſter iſtā ſuperiorum temporum acerbitate ſuſtinuit, illos
Labores, quos pertulit, illas difficultates, quibus conflictatus
fuit, illa pericula, quæ ſubiit, illa damna, quibus ſe ſuumq; æra-
rium ſponte multavit, dum modo Subditorum Salus ac com-
moda procurarētur, Videor mihi audire omnes uno ore cla-
mantes; *Quòd vivimus, quòd vigemus, quòd, quæ belli fortu-
næ reliqua nobis fecit, ſalva poſſidemus, ea poſt Deum tibi unè
CHRISTIANE Secunde, Princeps noſtrum amantiſſime,
acceptum referimus.* Nec aſſeverare dubito, ad unum omnes
ſubditorum, ſi id Deo placitum fuiſſet, aliquid ſua de vita de-
mere, & annis ſui Principis apponere cupiſſe.

5.
Beneficen-
tia ac Libe-
ralitas.

Si quoq; Beneficentia ac Liberalitas reddit Illuſtiorē Princi-
pē, ac quæ ſententia eſt Themiftij, *efficit Deo ſimilem*, quod de
Ottomanno primo, Imperatore Turcico, Jovis memoria pro-
didit, id ipſū citra adulationis ſuſpicionē, de noſtro Principe
affirmare poſſum, eū *pro comite perpetuo habuiſſe Liberalita-
tem ac beneficentiam*: Non ego hīc recenſebo, quā beneficus
fuerit in Eccleſiarum Scholarumq; Doctores, alioſq; ordinis
literati homines; nec quicquam dicam, quā munificus in
Confiliarios, Aulæ miniſtros alioſ; Silentio etiam præteribo,
quā benignus in Cives ac Subditos quosq;. Hoc unum mo-
dò attingam, quā largus fuerit in Exules, quā indoluerit
malis eorum ac ſorti, quā preſſi fuerunt, quā ipſis ſuccurre-
rit liberaliter, imo quāſi occurrerit, interdum largitus elee-
moſynas, antequam petere auſi eſſent. Credo ego Auditores,
totum hoc Auditorium non futurum capax eorum exulum,
& inter eos Paſtorum ac Ludi magiſtrorum, qui in præteritis
Bojohemiæ ac Germaniæ funeſtiſſimis Cladibus, ad Ejus Au-
lam, ceu ſacram ancoram ſupplices confugerunt, quodq; ſibi
polliciti ſunt ſubſidiū, ſpe majus impetrârunt. Et certè, mul-
to ampliora magiſq; luculenta dediſſet Princeps noſter do-
cumenta liberalitatis, imo magnificentiæ, ſi per tempora illa
aſperrima, fortunæq; belli injuriâ nimis acciſas, licuiſſet.

6.
Modestia
& Humili-
tas.

Si Modestia & Humilitas Principem ornat, etiam harū Vir-
tutum laude Principem hunc noſtrum non carere ſcio. Equi-
dem nō tam obſcure naris fuit, quin olfaceret, quo culmine di-
gnitatis cōſtitutus à Deo eſſet, neq; ignoravit omnino Virtu-
tes

res suas, sed tamen non extulit sese, aut superbiae auram inflatus, omnes alios infra se positos esse existimavit, sed voluntati divinae sese subiecit, Imperatori summo non invitus morem gessit, Cæteris Principibus omnibus suum cuique honorem detulit, Subditos etiam aliosque inferiores humaniter tractavit, verbo, intra debitæ moderationis fines semper sese continuit. Meminerat enim *Deum humilia extollere & excelsa dejicere*; Meminerat *magnas arbores crescere, sed unâ horâ exstirpari*; Meminerat *Solem altissimum motu tardissimo ferri*.

Si Temperantia, si Castitas, si Sobrietas Principi decus affert ac emolumentum, Princeps hic noster Virtutum harum Cultor fuit mirificus. Neque defunt testes, & ii quidem omnes, qui a primâ ætate ad ultimum Spiritum, ejus inspexerunt vitam, victum, amictumque. Certe ab omni libidine ac impudicitia ita abhorruit, ut nec aures mentionem talium ferrent.

Sobrietatem ita coluit, ut nemo Principum magis, non nescius, quæ, quantaque incommoda in gluvem sequi soleat; Neque vero Ipse coluit, sed suis etiam Magister ejusdem existit, neque quenquam suorum ad potandum, quod tamen hodie in Aulis pervagatissimum, adigit, sed exemplo Romuli, *(n) Vinum charissimum fore putavit, si tantum quisque biberet, quantum vellet*.

Si quoque invictum animi robur, quod Fortitudinem appellamus, Gloriam Principi parit ac dignitatem, hujus etiam Virtutis gloriam Princeps noster consecutus est. Non ego hic exponam bellica illa fortitudinis exempla, quæ loquitur ipse Orbis, & locuturus est, dum stabit. Neque commemorabo malevolorum sermones, odia, calumnias, suggillationes, rosiones, acerbitates illas privatas & domesticas quam plurimas, quas omnes æquissimo animo sustinuit ac pertulit. Hoc unum tantum enarrare fas duco, quâ animi præsentiam calamitates publicas toleraverit. Cum manum Clavo Principatus sui admoveret Noster, turbulentissimus erat rerum status, fervebant bella, ac dirâ quadam tempestate involuta erat Germania. Ipsi Magnates ac Principes vilissimorum cacularum petulantia videbantur expositi, ut tutius propemodum esset, latere in stabulo, quam jura dare in Palatio. Inprimis triste admodum erat & ominosum, quod validissimi duo hostiles exercitus, in ditione Bernburgensi diversis vicibus castra merantes, eam miserandum in modum ita afflixerunt

7.
Temperantia, Castitas ac Sobrietas.

(n)
Agell. l. II.
c. 14.

8.
Fortitudo.

runt ac devastarint, ut vix ejus vestigia facturi reliqua videretur.
At num abjecit animum aut despondit Princeps noster? Num
omnem spem deposuit? Num jacuit extra omnem auxilii divi-
ni fiduciam? Neutiquam verò. Quin animo erecto obfirmatoq;
difficultates istas tulit, eademq; æquitate toleravit mala ista,
quæ excipere prospera consuevit. Totum itaq; se Deo commisit,
animosusq; ac imperterritus tenuit clavum, ac elaboravit, ne
tempestates, quæ fremebant, demergerent navem penitus, ut ut
eam concuterent ac quassarent. *Adeò non Ipsum Fortuna, sed
Fortunam ipse, Deo fretus, vicit ac superavit!*

9.
Pietas,

Si deniq; Pietas, *qua omnis sapientia, Virtutis ac felicitatis
est compendium & complexio*, maximo Principi ornamento est,
Princeps hic noster, si quisquam alius, ei addictissimus fuit. Di-
dicerat enim è sacris *omnia prospere evenire piè viventibus,
Deumq; colentibus, sed spernentibus, adversa, noverat Pieta-*
tem habere, promissionem vitæ presentis & futura (n) Propterea
Deum ad præscriptum & formulam sacrae scripturae agnovit & singu-
lari veneratione coluit, literas sacras quotidie legit, diurnamq; si-
mul ac nocturnam manu versavit, cõciones sacras cupidè audivit,
attentè pensitavit, patrocinator est Veritati; Errores ac hæreses
toto pectore abhorruit, assiduus fuit in precibus fundendis, libe-
ralissimè aluit docetes in Ecclesiis ac Scholis, nec quicquam eorum;
quæ à Parente, ab Avo, à Majoribus suis in honorè Dei fieri memi-
nerat, intentatum reliquit, atq; in hoc ipso Pietatis studio tandè,
annos natus quinquaginta septè, annis ab hinc decè, vivere desit.

(n)
1. Timot. 4.
Conclusio

Sed quid dico, vivere desit? Vivit Princeps optimus, vivit in-
extinctus, vivit in templo Famae, vivit in monumentis Annalium,
vivit in animis Subditorum ac omnium bonorum, vivit in memoria
Imperatorum, Regum, Principum, Magnatum aliorum, vivit in recor-
datione suorum, & quod caput est, vivit in Se Altero, Juventutè
ac Imperium denuo quasi auspiciat, scilicet in FILIO, non dicio-
nis tantum, sed etiã Virtutum suarum Herede unico, VICTOREM
AMADEUM me dicere animadvertitis Auditores, Serenissimum
atq; Celsissimum Principem Anhaltinum, Comitem Ascania, ac
Dynastam Bernburgi ac Servedæ, Dominum meum Clementis-
simum, què ut pronus venerer & fausta prosequar acclamatione,
ipsa Pietas & Fides, quæ sum ei obstrictus, mihi imperare videtur.

Salve igitur Principum Augustissime! Salve Amor & Deliciae
Gentis

Gentis Anhaltinæ! Salve tanto Parente Fili dignissime, quem non ad Generis tantum ac Dicionis, verum etiam Virtutum Paternarum hereditatem vocavit divina Providentia! Augustum Cæsarem accepimus (o) cum Cajum ex Filia nepotem, in Ar-

meniam mitteret, Deos orasse, ut ipsum Pompeji gratia, Alexandri avaricia, & sua fortuna, quam semper habuerat secundam, comitarentur. Ego vero, Princeps Serenissime, ea tibi omnia conjunctim opto, quæ singulis in Majoribus & Agnatis tuis, multis ab hinc seculis, præcipua fuere. Hoc est, *Magnanimitatem Sigismundi, Pietatem Georgiorum, & Auctoritatem, Constantiam, veramque Religionis propaganda studium VVolfgangi, Rerum gestarum Gloriam ac felicitatem Rudolphi, Ernesti animi gravitatem atque altitudinem, Eruditionem, literarumque amorem Johannis, Joachimi Ernesti potentiam, opes ac liberalitatem, Christiani Primi Avi, Prudentiam ac Fortitudinem, Christiani Secundi Parentis, Excelsum & invictam malorum Patientiam, & denique Clementiam, Humanitatem ac beneficentiam,* quæ in omnibus hisce Principibus enituit, toto pectore tibi, *Princeps Celsissime,* precor, neque sum animi dubius, quin omnes, qui observantes sunt & amantes Familiae Anhaltinæ, mecum idem sint precaturi. *Fiat! o Fiat!*

(o)
Plutarch.
in Apoph.
Reg.

Quod reliquum est, Pietas me fas & æquum jubet, ut Scholasticam hanc Societatem, quavis laude majorem, relicturus, & in Academias de sententia Parentis mei abiturus, quibus pro beneficiis in me hætenus collatis gratias agere debeo, significem, optima quæque precer, Valeque tandem dicam.

Valedictio
gratiarum
actoria.

Et primum quidem locum obtinet Reverendissima, Serenissima, Celsissimaque Princeps ac Domina, Domina ANNA SOPHIA, Comes Palatina ad Rhenum, Dux Bavariæ, hujus Imperialis liberæ ac secularis Dioceseos Abbatissa, Comes in Veldenz & Spanheim, Domina nostra Clementissima, cujus Celsitudini quæ par est animi submissione, gratias ago immortales, quod me & publica Informatione in hoc Illustri Quedleo, & suo præsidio & Clementiam suam nunquam satis prædicanda, dignum judicavit. Ut igitur ipsius Celsitudo me meaque commendata sibi habere porro dignetur, humillimè rogo, & Redhostimèti ergo, quæ votorum summa est, *Felicitatem omnibus numeris absolutam eidem precor.*

Reverendissima
Principi ac
Abbatissæ

Sed

Præceptoribus, præcipuè Re-
ctori.

OK
Xb
353

Auditoribus.

Condiscipulis.

Sed & gratias ingentes, ago, Vobis, Præceptores amantissimi, in primis verò tibi, Clarissime nec non Doctissime Dn. Magister SAMUEL SCHMIDT, Rector hujus Illustris Quedlei celeberrime, Præceptor fidelissime. Tantis enim totq; ornasti me beneficiis, qua publicis, qua privatis, ut in iis recensendis aut dies me aut vox deficeret, aut eorum copia verborum inopem faceret. Liceat mihi, quod sentio liberè, coram vobis, Auditores, exponere. Eo mihi Præceptore uti contigit, quo, siue eruditionem quis spectet, siue docendi propositam rationem & methodum habeat, siue diligentiam & industriam consideret, siue humanitatem ac promptitudinem bene de aliis merendi intueatur, ne votis quidem optari conceptis melior posset. Itaq; tuum esse me totum, & nullo non tempore futurum profiteor, sanctissimeq; affirmo, quam pietate Aristotelem Alexander, Apollodorum Augustus, Plutarchum Trajanus, Scaurum Antonius, alii alios Magistros suos sunt persecuti, eadem & in te me semper futurum, & non solum pro salute tua Deum veneraturum, sed & datam aliquando occasione, gratias relaturum.

Nec minus me debere agnosco Vobis, Auditores omni honorum genere insignes, quod me de tanti Principis Laudibus non pro eo ac debui, sed pro eo ac potui, balbutientem potius quam dicentem, non solum tantam animorum attentione, auriumq; patientiam honorastis, sed etiam, dum hic Quedlimburgi commoratus sum, omni amoris ac benevolentiam genere persecuti estis. Prædicabo hoc ipsum & celebrabo non apud meos solum, verum etiam alios, ad quos tandem cunq; venero, in eo multus, imo totus futurus, ut ubi aliqua sese occasio obtulerit, bene de vobis ac de hac Vestra Republica merendi, promptus ac paratus reperiar.

Tandem & Vos appellandi mihi estis, Condiscipuli charissimi, Vobis item gratias ago maximas, quod eorum in numerum aggregare me quoq; voluistis, quos amore constanti prosequi soletis. Itaq; in me recipio, nunquam, quam diu lucis hujus usura frui dabitur, me commissurum, ut amicitiam hujus ex animo meo memoria effluat, aut loco mutato, mutetur ipsa, sed omnis generis officiis, quæ à me expectari possunt, foveatur, alatur, confirmetur. Restat ut Valedicam.

Valete igitur Fautores, Præceptores, Amici, Condiscipuli omnes ac singuli, quam diutissime ac felicissime, mihiq; Vestrum omnium studiosissimo futuro, quod fecistis hactenus, Favete.

DIXI Vale DIXI.

ni,
re
e,
s,
nt
at
o
t,
ve
ri-
ri
n-
o-
9,
de
re-
m.
o-
us
ius
nq;
o-
tis.
am
tus
de
sfi-
um
qvi
urâ
neo
ge-
ur,
io-
am
e.

Pon Xb 353, 2x

ULB Halle 3
004 390 067






U. 134, 25.

MAUSO CHRISTIAN-AN

Oratio Enc

Memoriae nunquam
SERENISSIMI CELSIS

CHRIST Principis Anhalti

niae, Dynastae Bernbu
Domini olim sui
Consecr

Majore Illustris Qu

A. D. VI. No

Supra sesquimillesima

more ritue

Musis Qvedli

CHRISTIANUS ERDMA

Nobilis A

M. SAMUELE ES

Typis JOHAN

